

gloria Heros gloriosissimus. Etenim satur annorum, satur onerum, satur honorum, satur rerum omnium ex mortalitatis hoc ergastulo ad exoptatissimam pervenit immortalitatem: Ubi Angelorum aliorumque Sanctorum insertus Coetibus justitiæ potitus est coronâ, quam justissimus Illi Judex hac adhuc pollicitus est in vita: Ubi talibus nunc perfruitur gaudiis, qualia nec adspectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neque ullâ queunt cogitatione adumbrari. Vobis verò, Personæ Illustres superstites omnes, quæ jam in luctu estis, orbatae Marito, Parente, Socero, Avo, Proavoq; dilectissimo, deque omnibus Vobis per tempus egregium optimè merito, potentissimum illum ac efficacissimum Consolatorem, Spiritum nempe Sanctum precor, ut gravissimum hunc levet luctum, graviori compenset solatio, mœroremque commutet gaudio. Quod superest, supremum animarum Episcopum ac Medicum probatissimum, qui hoc vulnus toti inflixit Ecclesiæ, invariatae Augustanae Confessionis ingenuè addictæ, supplex oro, ut illud consolidet quoque, & loco *FIDEI HUIUS DEFENSORIS RELIGIOSISSIMI*, reddat nobis (quin quâ est bonitate, jam reddidit) alium, prementem strenuè vestigia Patris. Hunc Tibi, Domine Dominantium,

tium,